

1
2
29
25
26
27
28
28



1705

- 23^a = Thomaeus, Christianus: De fortibus ex foris Christianorum
novorum presentibus 5 Saupf.
- 24^a = d. Thomaeus, Christianus: De origine successionis testa-
mentariae 4 Saupf.
- 25^a = d. Thomaeus, Christianus: Prima initia successionis testa-
mentariae apud Romanos. 1705 & 1744
4 Saupf.
- 26^a = d. Thomaeus, Christianus: De usu pratico doctrinae
difficultissimae juris Romani de culparum presta-
tione in contractibus. 1705 & 1731.
- 27^a, G.C. = Thomaeus, Christianus: De sensu legis decemvales
testamentariae. 3 Saupf.
- 28^a, T. = Thomaeus, Christianus: De templariorum equitum
ordine sublato 2 Saupf.
- 28^a = Thomaeus, Christianus: De templariorum equitum
ordine sublato.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]







Halle, Diss. 1705

(T-2)

XC. 28.

23

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

TORTURA EX
FORIS CHRISTIA-
NORUM PROSCRI-
BENDA,

Quam

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE, AC DOMINO,
DN.

FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS BRANDENB.
ET CETERARUM PROVINCIARUM HEREDE,
PRAESIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO,
JCTO, S. REG. MAJ. BORUSS. CONSIL. PROF. PUBL.
ET FACULT. JURID. DECANO,

Pro summis in utroque Jure Honoribus, Privi-
legiis & Insignibus rite capeffendis,

IN AUDITORIO MAJORI

ad diem XXII. Jun. MDCCV. Horis ante & pomerid.
placidae eruditorum discussione submittit

MARTINUS BERNHARDI, Pomer.

Hale, TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYP.

XC.



DISPUTATIO IN ANGULARIS JURIDICA

DE
TORTURA EX
FORIS CHRISTIA-
NORUM PROSCRIBENDA

IN ILLUSTRI ACADÉMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

FRIDERIGO WILHELMO
LIGNI BORSUM, RECTORIS BRANDEBUR-
GICI CATHOLICI UNIVERSITATIS

PLACIDE
DR. CHRISTIANO THOMASIO
JURIS REGII BORSUM CONSILIARIO

PRO FUNDIS IN ANNO DOMINI MDCCXCV
LIGNE & INQUIRITIS HOC SCRIPTUM
IN ADDITIONE WILHELMO

AL. DOM. XXI. JAN. MDCCXCV. HOLL. IMP. & ELECTORIS
PRAESIDIIS CUIUSMODI SIBI VIDERETUR
MARTINUS BERNHARDI, PONTIS
SACRI THEOLOGICI ANDREAE ZEITLERI, SACRI THEO-



DECANUS PRÆSES
NOBILISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

Moris est in Academia nostra, ut cum infinite sint in quaestionibus juris ob varias rationes alibi fuis expositas dissensiones & opiniones communes contra communes, non solum liceat Professoribus liberè sentire, sed & eadem libertas relinquatur Candidatis in disputationibus iuaguralibus. Quare & ego eadem libertate Te gaudere lubentissimè patior, præprimis cum eandem sententiam, quam propugnas jam anno 1624. Johannes Grevius peculiari tractatu, quem sub titulo Tribunalis reformati edidit prolixius defenderit, & quantum scio, Jcti jam ferè per seculi spatium tacuerint, & ejus opinionem nemo peculiari scripto refutaverit, imò celeberrimus Jctus Belga Antonius Matthæi in tractatu de criminibus ad tit. de quaestionibus cap. 5. doctrinam Grevii, et si ejus nomine suppresso (non, ut puto animo maligno, sed ne opinioni illi autoritate Doctõris Arminiani præjudicium crearet) in summam contraxerit, & judicio suo quod valentiora videantur argumenta, quibus oppugnantur tormenta, quam quibus defenduntur, tantum non approbaverit. Cum vero tota hæc disputatio Tua sit, non mea, patieris, ut paucis mentem meam de hoc negotio aperiã, ne, quod alias non solet esse infrequens, aliena doctrina tanquam mea allegetur. Iniquam esse torturam & Christianas Respublicas non decentem, cordatè assero. Assero etiam, optandum esse ut hic nãvus cum aliis plurimis ex Christianã Republica extermineetur, sed in quantum regulæ Prudentiæ id permittunt. Utrum vero ita simpliciter consuli debeat rectoribus rerum publicarum Christianorum, ut torturam ad imitationem Anglorum aliorumve populorum exterminent, subsisto. Et cum instituti ratio non admittat, ut plene sententiam meam declarem, faciam id saltem per compendium, & melioris illustrationis gratia simile istud considerandum propono. Bene facit

facit Medicus, ut statum hominis ægrotantis ac signa morbi accuratè secernat à signis sanitatis. Tum & cognito morbo seriò optat, ut ille expellatur. Sed quantum id permittit prudentia medica. Neque enim absque gravi periculo ægrotantis indistinctè poterit adhibere medicamenta morbo adversa, sed varia consideranda sunt medico, puta ut radices morbi simul tollantur, ut constitutio corporis, ætas, consuetudo, & annon malum nimis altas radices egerit, ut totum tolli nequeat, & quæ sunt similia, expendantur; Sic & Politicus ac Juris in quæstione de tortura, antequam consulat, torturam esse eradicandam, considerabit. an & reliqui nervi, quibus laborant Christianorum Respublicæ, simul tolli queant, aut annon torturâ sublatâ & reliquis nervis intactis graviora damna sint metuenda. Considerabit, annon illæ Respublicæ, quæ torturâ non utuntur, sint feliciores, vel annon iisdem ac fortè majoribus abusibus sint obnoxie. Ita v.g. notum est iis, qui accuratiorem noticiam habent processus Anglicani, quales quantæque soleant esse querelæ de corruptione testium, quorum testimoniis reis oneratus, etiam sine confessione, condemnari solet. Sed nolo prolixior esse, neque hæc attuli, ut Tecum disputare, vel sententiam Tuam oppugnare velim, sed ut declarem saltem, quæ sit mea de toto hoc negotio sententia, & cur nondum sustineam, nisi hæc omnia ante probè sint excussa, consilium de exterminanda è Christianorum Rebuspublicis torturâ vel simpliciter approbare, vel simpliciter improbare. Quare licebit hic mihi libertate illa uti, quam olim in re dubiâ Populus Romanus indulgebat suffragia ferentibus de novis legibus, aut etiam ipsis iudicibus datis, ut dicam NONDUM LIQUET. Alii igitur tempo ri servo ulteriores mediatiaciones eâ de re, quod & Tu fortè in secundis curis facies. Neq; enim ista dubia tanta esse prædico, ut non possint fortè aliis consiliis posterioribus emendari, aut plane tolli. Tu interim, Nobilissime Domine Candidate vale, & res tuas feliciter age. Dabam d, 15. Junii. Anni 1705.

CLARIS-

CLARISSIMO DN. CANDIDATO
S. P. D.
JAC. FRIDER. LUDOVICI, D.
Prof. Publ. & Fac. Jurid. Adfessor.

PRACTICUM sane est thema, quod in Disputatione
Tua inaugurali pertractasti. Torquemur omnes
à teneris ungviculis & saepe iniquè torquemur.
Torquet nos Divus Priscianus: torquet nos
Scharffii Darapti, Felapton, Disamis & Ferison;
Torquent nos Dieterici, aliorumque Epizeuxis, Anadiplofis,
Anaphora: Torquent nos, qui Religionem ex sectis, non
vero ex limpido verbi divini fonte dijudicant: Torquent
nos illi, qui Tribonianum non habito respectu ad mores
nostros adorant: Tortura ubique apprehenditur. O nos
miseros! Hæc Tortura sine dubio non solum ex Christiano-
rum, sed omnium etiam moratorum gentium Republica es-
set ejicienda. Sed maxima inde tortura crearetur Patronis
antiquarum fabularum Reipublicæ ergo, si credere fas est,
interest, ut omnes novitates supprimantur. Idem forsân de
themate, quod elegisti, erit judicium multorum. Nam &
multorum interest, ut tortura delinquentium retineatur.
Forsân vero & tempus veniet, ubi multorum aliud erit ju-
diciû. Venit mihi nuper ad manus libellus, cui titulus:
Effigies justitiæ, das ist / Bildniß der Gerechtigkeit / sambt dero
Inhalt und Bedeutung / so dann auch eine aus Gottes Wort
und der Natur angestellte genaue Untersuchung / ob das *effigies*
Tortura derselben ähnlich sey / oder nicht? in quo libello ple-
raque argumenta, quæ adduxisti contra Torturam, & plura
adhuc habentur, exempla item iniquè torturam adducuntur.
Ex quo constat, Te non singularem prorsus opinionem fo-
vere, cui scilicet & multi alii Viri doctissimi, quos allega-
sti, calculum suum adjecerunt. Quamvis ergo non speran-
dum sit, Legislatores torturam statim ex foris suis pro-
scriptu-

scripturos esse; interim tamen diligentia Tua laus nihilo minus debetur, quod iniquitatem Torturae in Tua disputatione ostenderit. Non enim omnia, quae in praxi partes litigantes torquent, cum principiis juris genuinis conveniunt. Torquent praeterea Clientes Rabulae, torquent Auditores imperiti Doctores, qui ipsi melius facerent, si in discipulorum numero nomina sua profiterentur, quam ut alios stolidi sua ambitione torquerent. Sed dabit omnibus haec Deus aliquando finem. Transeat itaque Tortura. Votum meum est, Clarissime Candidate, ut prospera quaeque Tibi quocumque tempore eveniant. Fuisi meus Auditor admodum industrius: sicuti vero non haufisti ex meo ore, ut spero, vanos sermones obtreccionum aliorum, voces ambitiosas, & in generis alia: ita quoque certo confido, Te aliquando verum causarum Patronum evasurum esse. Deus annuat coeptis Tuis. Vale cum Tuis, Vale cum tota Pomerania nostra. Dabam ex Museo in Illustri Fridericiana d. XIII. Jun. MDCCV.

In dem Dein munterer Geist mein Freund sich unterwindet
Die Ungerechtigkeit der Follter darzuthun /
Sieht man wie Ehemis Hand Dir Lorber-Kränze windet /
In deren Schatten selbst die Unschuld sucht zu ruhn,
Fahr weiter also fort die Fehler zu bestreiten /
Die in Gerichten sich bisher genistet ein;
So werden Ehr und Ruhm Dich ferner hoch begleiten /
Und wird Dein Vaterland durch Dich gepriesen seyn.

So wolte' seinem schon vormahls in Hol-
land bekandten / anigo aber auff der
Hällischen Academie rühmlich pro-
movirenden guten Freund glückwün-
schende zuruffen

CHRISTOPHORUS LAU, Pruss.



PRÆFATIO.



Quanta semper ac quam gloriosa veterum JCrorum prudentia ac scientia fuerit, pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas. Cicero enim Parens ille Sapientiæ in Lib. de Orat. ipsorum domos oracula civitatum appellat: unde etiam illorum responsa, Collectanea atque Digesta, maximam ab Imperatoribus auctoritatem acceperunt. Verum, quemadmodum (ut venuste loquitur Imperator *L. 2. §. de veter. jur. enucleand.*) in nullo aberrare seu in omnibus irreprehensibilem esse, divinæ utique solius, non autem mortalis est constantiæ; ita & nusquam in colligendis atque componendis Romanorum Legibus, JCrros aberrasse atq; irreprehensibiles esse, nemo mortalium asseret, nisi sese pariter aut in jure nostro hospitem, aut adulatorum nimium manifestaverit. Legum illarum vero, à quibus æquitas aut sana ratio exulat, scri-

em hic contexere neuiquam in animum induxi;
atramen ab æquitatis tramite sæpe veteres devias-
se Jctos; quin vel unicum iliorum funestum de
tortura inventum, instar omnium satis superque
fidem faciat, nullus equidem dubito. Per tortu-
ram enim miserrimis Reis incertis hæcenus &
nondum convictis tales plerumque infliguntur
pœnæ, quæ atrocitate sua superant illas, quibus
ejusdem criminis rei, si plene convicti essent, affici-
endi forent. Vix enim imo vix est, ut cruciatus
ac per consequens pœnæ, quæ ex inflictis tormen-
tis in hominum corpora redundant, cum mortis
angoribus comparari valeant. O nimis impia in-
plectendo perversitas! Quid injustius? quid vel ab
æquitatis umbra adeo abhorrens excogitare datur
unquam? quam miseros mortales, qui adhuc in-
fontes sunt, excarnificare pœnis tam truculentis,
ut vel earum meminisse, animus, cui parum adhuc
humanitatis sensus superest, horrescat luctuque re-
fugiat. Clare vero, ut hujus meæ assertionis veri-
tas elucescat, torturam in primo capite Disserta-
tionis meæ ad juris civ. regulas explorabo: in se-
cundo vero capite illam rationis ac æquitatis lan-
ce trutinabo. Tu vero B. L. rejecta præconcepta
opinione hoc legas & contra dissentientium

moribus defendas.


Dis-



DISPUTATIONIS INAUGURALIS JURIDICÆ
DE
TORTURA EX FORIS CHRISTIANORUM PROSCRIBENDA.

CAPUT I.
TORTURÆ PRAXIN JURE CIVILI ET
MORIBUS COMPROBATAM CONTINENS.

§. I.



Uspicaturus materiam de tortura cum *Anton. Matib. de Crimin. L. 48. Tit. 16. c. 5.* dicendum arbitror: torturam non esse legitimum & juri divino & naturali consentaneum exprimendæ probandæq; veritatis modum tam certum est; quam evidentè constat, hanc periculosam & fallacem probandi rationem in jure

*Judicia quaedam doctorum Vi-
rorum de
tortura.*

nostro civili aliquando permitti. Quod etiam sua sententia confirmat Ludov. Vives ad *Augustin. de Civitat. Dei Lib. 9. cap. 6.* dicendo: *hic torquemus homines, ne infantes moriantur, ut magis nos eorum miseret, quam si morerentur: adeo graviora se, e sunt tormenta, quam mors.* Cicero quoque in *Orat. pro Cluent.* dicit: *in questionibus non id agi videtur ut verum inveniat, sed ut aliquid falsi dicere cogantur, qui torquentur.* Quod & insuper ipse *Augustin. de Civit. Dei* confirmat, dicendo: *Quid cum in sua causa quisque torquetur, & cum quaeritur utram sit nocens, cruciatur; & innocens luit pro*

incerto scelere certissimas penas, non, quia illud commississe detegitur, sed quia non commississe nescitur, & sic ignorantia Judicis plerumque est calamitas innocentium. Ipse Ulpianus quoque l. i. §. 23. ff. de quest. hoc aliquo modo fatetur, dicens: *Et enim res fragilis est tortura & periculosa, & qua veritatem fallat.*

*Sententia
nostra de
tortura.*

Ego verò ut hic in limine statim, quid de hac fallaci probatione sentiam, candidè fatear: Injustam, iniquiam, fallacem, insignium malorum promotricem, ac denique omni divini testimonii specie plane destitutam esse hanc violentiam torturam, & proinde ex Foris Christianorum, rejiciendam, intrepide assero. Sed ut ordinem in Præfat. præfixum sequar, in primo Cap. torturam, quatenus LL. civilibus comprobata est, tractabo; In secundo verò capite, illa, quæ pro hujus carnificinæ usu stabiliendo ab illius fautoribus in medium profertur, resutabo.

S. II.

Quæstionem vero ut aliquâ definitione, uti mos est, describam; nihil aliud ea est, quam violenta veritatis per tormenta facta inquisitio. Possent nunc definitioni huic quædam de illius origine atque significatione adjicere. Sed ne longius quam par est à scopo discedam, hic statim producám illud, quod Judex cautus juxta normam Jure Civ. præscriptam, in imponenda quæstione, animo suo præagitare debet. Et quidem primo cuiusnam conditionis homines tortura subjeci deceat? (2do) in quibus delictis aliisque causis ad illam provolandum? (3) ad quænam signa vel indicia quæstio decernenda, (4) quousque aut quomodo in insigendis tormentis procedere integrum sit, & denique ultimo quænam specialia Judici circa torturam observanda. Primum itaque quod Judex observare debet, est personarum conditio. Iniri enim apud Romanos hujus severioris examinis objectum tantum erant servi; Et quidem non solum ob propria

*Præquisi-
ta quædam
tortura.*

pria delicta, sed etiam in alios, non vero in dominum, exceptis quibusdam delictis, torquebantur, *vid. Anton. Matth. lib. 48. tit. 16. cap. 2. n. 3.* Deinde ad liberos quoque homines, qui humilioris ac inferioris conditionis erant, severior huc Processus extendebatur. Inter quos tamen illud discrimen notandum, ut, qui vilioris conditionis, simulque infamia notati, non minus tanquam testes, quam ac si ipsi forent Rei, tormentis sese subducere potuerint *l. 21. §. 2. ff. de test. Auth. apud eloquentiss. C. de fide instrumentor.* quod tamen hodie secus in illæse famæ, quantumvis tenuioris fortunæ hominibus, qui non, nisi ipsi Rei, quæstionem experiri tenentur, si modo testimonium dicturi non vacillent, *l. 15. pr. ff. de quæst.* Hæc vero lex tantum loquitur de illo casu, si in testimonio dicendo non vacillent: hinc a contrario sensu colligitur, quod, si vacillent, possint torqueri; Idem si vacillent: licet enim hæc inter se distincta sint, attamen idem est variationis, quando quis dissimilia dicit; & vacillationis quando quis hæsitanter respondet, effectus, *vid. Brunn. ad l. 15. ff. b. t.* Ratio est: quia Judex super tali testimonio alias nullam sententiam, nec pro innocentia, nec pro Rei condemnatione ferre potest. Cum vero alterutrum detegi Republicæ, maxime in criminalibus interfit; sequitur omnino, varium & mutabilem testem, si ipsi actui interfuerit, leviter torqueri posse, *l. 18. §. 3. b. t. conf. l. 16. ff. de testib.* Parili etiam modo tam masculos, quam feminas ad torturam rapi posse sine distinctione, certum est; modo justis ex causis non excipiantur.

§. III.

Eximuntur vero a tormentorum cruciatibus (1.) dignitatis ergo homines illustres, Senatores, Viri clarissimi & eminentissimi, eorumque liberi ad tertium usque gradum *l. 11. C. de quæst.* Deinde etiam milites non ignominiose ab Exercitu missi huc referendi sunt, *l. 8. C. de quæst. sone ob dis.* Ob paritatem quoque rationis huic Catalogo inscribentur.

di vi.

DISP. JUR. DE TORTURA EX FORIS

di videntur *arg. l. 8 ff. b. t. Doctores, Advocati, Studiosi &c.*
vid. Brunn. *Proc. Crim. cap. 8. m. 5. §. 23, 24. & c.* Hoc verò
privilegium cessat in criminibus atrocioribus ut Crimine laes.
Maj. l. nullus. C. de Crim. *Majest. Homicidii, Carpzov.*
part. 3. quæst. 118. n. 89. Sodomix, adulterii, &c. Cessant
quoque hæc privilegia dignitatis, cum quis ita se gesit, ut
pita professioni sive dignitati contradixerit; quia sic di-
gnitas vitiis obfuscata est; Zanger *cap. 1. n. 86.* Tiraq. de
Nobil. qu. 22. (2.) eximuntur quidam oc atatem tam tene-
ram, quam decrepitam l. 10. 15. §. 1. ff. de *quæst. l. 1. §. 33. de*

(2.) *ob atatem.* SCio Syllan. ubi impuberes dicuntur exempti. Dicuntur
autem hic non tantum impuberes, qui doli incapaces;
sed omnes, qui annum quatuordecimum nondum egressi sunt;
Errant itaque illi, qui cum magno Cujacio illos tantum mo-
do impuberes, qui doli adhuc incapaces sunt, non tor-
queri posse contendunt: Lex enim l. §. 33. SCio Syllan. diser-
tis verbis docet, impuberes non torqueri, terreri vero &
habenâ vel ferulâ cædi, non esse insolitum. Quod privi-
legium etiam non injuste ad Seniores & magnæ ætatis ho-
mines extenditur *arg. l. 3. §. 7. ff. ad SCium Syllan.* Militat
quippe pro senibus, utpote bis pueris, eadem ratio, quæ
pro impuberibus certat. Idem privilegium quoque exten-
dendum ad Melancholicos per tradita Carpzovii *qu. 118. n. 8.*

(3.) *Ob judicii* ut & ad furdos & mutos natura tales, *arg. l. discretis. 10. C. qui te*
vel corporis stament, sac. poss. Et hoc non solum ideo, quia plerum-
defectum, que fatui, sed etiam, quia regulariter nulla ab iis exspe-
vel ob ali- ctari certa confessio potest frustra vero expectatur, quod
am justam sperari non potest, & licet per signa veritas iis exprimi
causam. possit, non tamen circumstantiarum esse potest, certitu-
do Zanger. de *quæst. cap. 1. n. 44.* Carpz. *quæst. 118. n. 21.*
Summa denique ratione hic propter corporis constitutio-
nem excusatur mulier prægnans quamdiu uterum gerit. l.
3. ff. de Pen. Facili enim negotio, aut foetui, aut ipsi mu-
lieri

lieri gravidæ per torturam exitiale quicquam infligi potest. Tandem etiam Doctores communiter hic recensere solent multos morbos, qui à tormentis mortales reddunt liberos, de his vid. Paul. Zach. *de quest. lib. 6. tit. de Torment.* ad quem B. L. brevitatis ergo remitto. Solet vero communiter circa hanc materiam quæri, an saltem, qui torqueri nequeunt, sive simplicibus minis, sive ipsos ad locum ubi tortura perachi solet, adducendo, seu de facto oqualeo imponendo, terreri non integrum sit? Hic *Neq; terre-* verò Resp. sub distinctione, & quidem ita: ut quosdam *ri possunt* terreri permissum, quosdam vero non magis terreri quam *perfone,* torqueri fas sit; unde fluit, quod tormentorum terrore *que torquer-* (1) percellere non liceat illos, quos à quæstione libe-*ri prohiben-* rat dignitas Anton. Matth. *de Crimin. ad Tit. de Quæstion.* (2) *cur, exceptis* neq; illos facile perterrendos esse, quos corporis imbecillitas *nonnullis,* torturæ subjicere disuadet, Icti asserunt. Unde Anton. Matth. *cap. 2. de quest.* expresse docet; mulieres prægnantes quemadmodum neque torquendas, ita nec quæstionis terrore percutiendas esse. Terreri vero qui posse creduntur, sunt tantum impuberes & senes, *arg. l. 1. §. 33. de Scio Syllan. l. 15. §. 41. ff. de injur.* quem tamen terrorem tantum levem, & à quæstionis praxi remotissimum esse oportere L. L. jam citatæ ut & ipsa ratio postulat. Terror enim *Impuberes'* incussus puero aut decrepito, periculo haud vacat; facile *et Seniores* enim pueri terroribus percussi in epilepsiam aliaq; mala *leviter ter-* incidunt, senes verò in apoplexiam aut alium animi de-*veri possunt* sectum. vid. Paul. Zach. *qu. med. leg. lib. 6. tit. 2. de Medic. err.*

§. IV.

Huc usq; de personis actum, postulat nunc præfixa Disputationis ratio, ut, quænam causæ seu delicta torturæ locum faciant, examinem. Causæ vero quæ pro ratione personarum ad torturam viam sternunt, variæ sunt; servi enim in causis civilibus non minus, quam in criminalibus

B olim

*De causis
sive delictis
ad torturam
sufficientibus*

olim torquebantur, l. 9. ff. de Quæst. & hoc non solum obtinebat in propriis, sed etiam alienis, exceptis, domini causis; regulariter enim contra quem quis non admittitur tanquam testis, in illius caput quoque non potest torqueri. Liberos vero homines non nisi in criminalibus & quidem in delictis atrocioribus tantum torqueri solitos fuisse liquet ex l. 8. §. 9. h. ff. de Quæst. nisi cum causa civili concurrat delictum aliquod: ut si mercatori qui non solvendo est, dolo malo in fraudem Creditorum pecuniam, sive rationes supprimat; tunc enim non solum ipsi Rei, sed & testes veritatem malitiose supprimentes, licet sint liberi homines, leviter torqueri possunt præsertim si veritas aliter haberi haud possit; Interim tamen constat, quod non in omnibus delictis, sed tantum in illis, quorum pœna vel ultimum supplicium, vel ad minimum corporis afflictiva est, tortura locum habere possit. Equidem ad curam hoc propriè Collegiorum pertinet, distinctionem delictorum adhibere in dictanda tortura: Interim tamen & Judex etiam hoc nosse debet, ut qualitatem criminis bene in Actis deducat, quo postea Jurisperite scire possint, quanam pœna isti delicto competat, & an sic per consequens tortura locum habeat, v.B. Brun. in Proc. Crim. cap. §. m. §. 20.

§. V.

In discernenda porro quæstione Judici quoque ratio habenda est signorum sive indiciorum Reum præmentium, quæ legitima qualitate & justo numero torturam præcedere debent. Non enim à tormentis initium sumendum esse, ipse J.Crus Ulpianus l. i. ff. de quæst. docet. Deinde etiam plenz probationes, quibus Reus convincitur potius, quam suspectus redditor, ex Catalogo indiciorum expungende sunt; verosimilia enim non apodicticè conclusentia argumenta torturam præcedere fas est. Hinc illo-

*De indicis
ad torturam
aggravantibus.*

illorum sententiæ neutiquam subscribo, qui Reum, quamvis testibus vel argumentis luce meridiana clarioribus convictum, torturæ subjiciunt, ideo, ut per illam, ex proprio ore, sceleris confessione extorta, appellationis beneficio privetur. Tortura enim non est remedium ordinarium extorquendi veritatem, sed potius extraordinarium sive subsidiarium, cujus proprius & unicus tantum finis, rei dubiæ confirmatio est: Obiit vero sine non tantum subs-
 pus amplius est, ut de medijs solliciti sumus. Quis itaq; subsidiarū me-
 mortarium non cernit, ad rem hanc periculosam irreligi-
 osamq; non esse properandum, quamdiu remedium ma-
 gis securum superest? Unde etiam si aliter adhibetur,
 pœnam magis, quàm veritatis indagacionem sapit, vid. Brun-
 esp. 8. m. s. §. ii. Indiciorum quidem, quæ ad torturam,
 viam sternunt, vastissimus sese hic pandit Ocianus. Sed
 misis illorum tam definitionibus, quam divisionibus,
 quas magno numero DD. tradunt passim, duo hic saltem
 indiciorum prærequisita examinabo. Primum itaque est,
 quod indicia ad torturam aggravantia debeant esse vero-
 similia, l. 8. §. i. C. de quest. & quidem tam verosimilia, ut
 nihil aliud, quàm Rei confessio deesse videatur, l. 1. §. i. ff.
 de quest. Talia verò quænam sint accuratè delineare, hoc
 opus, hic labor est! Prudentis itaq; Judicis arbitrio hæc
 decernenda committere, quàm specialem hic præscribere
 regulam, longe tutius arbitror. Unde ejusmodi Judicem
 Peretz quoq; monet, quod recte fecerit si indicia, argu-
 menta & præsumtiones ex personis locisq; suspectis deli-
 mat; item ex tempore, ut si alia horâ in quâ occisus in-
 ventus, quis visus sit frugere stricto gladio: Magnam de-
 nique facultatem æstimandi præbet vita antea facta, conver-
 satio sive consuetudo illorum, quibus is, cui adhibendæ
 sunt quæstiones, quotidie conjunctus fuit. Alterum por-
 to prærequisitum indiciorum est, quod unum indicium
 licet terminare
 debet.



licet gravissimum & crimini proximum, ad dictandam
torturam non sufficiat, sed quod semper plura adesse de-
beant. Unum enim sepiissime fallere potest, quapropter,
cum hanc periculosam examinandi viam non calcandam
dixi, nisi iudiciis verosimilibus postulantibus; hinc satis
apparet, unum utpote saepe fallax & erroneum iudicium
haud sufficere ad torturam. Leges insuper si consulamus,
nec ista illud, quod hic assero, dissuadent: Semper enim
de iudiciis sive argumentis in plurali non de iudicio in
singulari loquuntur, vid. l. 1. §. 1. l. 18. §. 2. l. ult. ff. l. 3. l. 8. C.
de Quæstion. Sed quia hac in re non omnes consenti-
unt, hinc insequentibus pauca tantummodo tangam,
non pertractabo; quia pagellarum angustia hoc vix per-
mittit.

*Unum iudici-
um specia-
le, si gene-
ralia non
concurrant
vix sufficit
ad tortu-
ram.*

§. VI.

Solet itaque à DD. hic quæstio moveri, annon unus
testis tantæ efficacitæ sit, ut ad quæstionem Reo imponen-
dam sufficiat? quod negandum esse aucto. Nec Juvat
hic dissentientium distinctio inter illum testem, qui de audis
tantum iudiciis deponit, & illum, qui se Reum ipso actu
crimen committentem vidisse testatur; adeo quidem, ut
priori casu ad minimum duos testes desiderari confitean-
tur, posteriori verò vnum de ipso actu deponentem suf-
ficere posse putent. Quam distinctionem plurimis arri-
dere video DD. sed minus recte meo iudicio; Quando-
de delicto quidem absq; piaculo JCtis non licet quicquam Legibus
deponens addere, nec detrachere, cunctas vero leges, quotquot huc
vix solo ag. spectant, de numero iudiciorum in plurali mentionem
gravat ad injicere, mox vidimus. Deinde etiam nusquam talem dis-
tinctionem in jure repertire datur, hinc certe illorum DD. rium
placitum, tanquam Legibus destitutum, illamq; inter tes-
tes distinctionem, tanquam ex solo illorum ingenio nata
tam non admittendam esse, satis liquet. At regerunt dis-
sentien-

*Unus testis
immediate
de delicto
deponens
vix solo ag.
gravat ad
torturam.*

sentientes, quod tamen in *Art. 39. C. Crimin.* expresse dicatur, unum testem esse sufficientem ad Reum equivo-
ponendum: Sed ille Articulus ex proximè antecedenti-
bus explicandus & ita limitandus, si nempe generalia
quædam indicia simul concurrant & contra Reum mili-
tent. Et sic ego quoq; admitto, quod unus testis sufficiat,
utpote si talis persona sit de cujus malitia ex vita antea-
ctæ sufficienter jam constat &c. Porro etiam ex *l. 1. §. 2. ff. de Quest.* præluet; quod argumenta, priusquam ad
torturam provolandum, tam clara esse debeant, ut sola
Rei confessio abesse videatur. Quis autem unquam di-
xerit, per unum testem ita convinci Reum, ut sola ipsius
desit confessio? Non frustra Deus T. O. M. dixisse creden-
dus, non in unius ore sed ad minimum duorum vel plu-
rium consistere omnem veritatem, *Devt. cap. 19. v. 15. Matth. 18. v. 16.* Ipse Paulus Jctus in *l. 20. ff. de quest.* torturam de
ancilla instituendam ad unius hominis testimonium illi-
citam quoq; pronunciat. Videamus ipsa Legis verba in
fin. *Procurator questionem de Ancilla habuerat. Hoc cum ex ap-
pellatione cognovisset Imperator, pronuncians, questione illicitè
habita, unius testimonio non esse credendum, ideòq; recte provo-
catum.* add. Gothofred. in Not. ad h. Leg. ut & *L. 9. C. de
reph.* ubi expresse dicitur; Simili modo sanximus, ut unius
testimonium nemo iudicium facile patiatur admitti in qua-
cunque causa.

§. VII.

Quæri à DDbus quoq; solet an non saltem ille, qui à
vulnerato in agone designatus est auctor vulneris lethife-
ri, questionibus possit legitime tradi? Dubitandi hæc
adeft ratio, quod vix in instanti mortis periculo mentiri
præsumendus, sed potius propriæ salutis memor creden-
dus sit homo moribundus, *arg. l. fin. ad L. Jul. repetund.* Ve-
rum quia non omnis moriens est Johannes Baptista, hinc
vulnerati
vulne- auctoris vul-

*veris, sola,
non sufficit
ad torturam.*

vulnerati nominationem non possum, tanquam pregnans indicium ad torturam admittere. Vidimus enim jam antea ad unius hominis testimonium neminem esse torquendum; Quis vero adeo cæcutit, ut non videat, hic tantum adesse unum testem, & quidem in propria causa testimonium præbentem? Unde satis prudenter monet Ulpianus, si quis moriens dixisset sibi à servo vim mortis esse illatam, non esse credendum domino, nisi hoc postea ab hærede probari poterit. Acriter hic quoq; inter DDres disputatur, annon, si Reus aliquem delicti participem nominet, illa nominatio, sufficiens sit ad torturam gravamen? quod expresse negotio: Experientia enim vel millies sane comprobavit, à Reis seu ultro confessis, seu legitime convictis, nominatos fuisse quosdam delicti consortes quorum serò postea detecta fuit innocentia. Neque hoc mirum videtur, quia semper solamen reorum est, socios habuisse malorum. Quia imò nec defuere Rei (quod ex *l. fin. C. de accusation.* satis colligi potest) qui eo impietatis provecti fuerunt, ut illos, quos odio prosequerentur, ad opportunam de illis sumendam vindictam, factoris sui coadjutores nominare haud dubitarint. Notatu digna est Historia, quam hujus rei refert *Justin. Lib. 2. cap. 9.*

*Nec Reo
nominatio
correorum,
sufficiens in
dicium est.*

Hyppias cum imperium paternum teneret, interfectorem fratris sui coprehendere jusfit, qui, cum per tormenta socios cædis nominare cogeretur, omnes amicos Tyranni nominavit, quibus interfectis, quærenti Tyranno an adhuc aliqui cædis conscii essent, neminem, ait, quem amplius mori gettiat, quam ipsum Tyrannum. Talia itaq; similiaque incommoda & absurda hæc in re prævidisse Imperatorum Antonium, persuadet mihi ipsius prudentissimum monitum; Convictis confessisque Reis, ad societatem sceleris vocantibus eos, à quibus indicati, facile credi non oportet *l. 4. C. de quest.* Vidimus itaq; quod hæc duo

duo in hoc §. descripta indicia singulatim non sufficiant ad Reum torturæ imponendum, nisi simul generalia quædam concurrant indicia; quod nempe ille, qui indicatus est semper in societate Rei fuerit, vel alias homo perfrictæ frontis, cujus vita auteacta loco indicii generalis, esse potest.

Generalia concurrere debent in indicia.

§. VIII.

Denique inter DD. quæstio circumfertur, annon indicium sufficiens sit ad torturam propria confessio extrajudicialiter facta? quod negandum esse puto, nisi ex aliis circumstantiis simul enarratis, contrarium præluceat. Quod etiam affirmant Anton. Matth. ad Tit. de quæst. cap. 3. n. 10. & Wissenbach. ad Tit. de SCro Turpill. n. 8. dicendo: quod ille, qui animo minus serio, aut ostentationis magis, quam semet ipsum accusandi & onerandi causa, quædam effutit non sit rapiendus ad quæstionem. Edocet enim quotidianus rerum eventus, ut illi qui imbelles, rebusque gerendis maxime inepti sunt, ingentia sese perpetrasse crimina, passim inter socios glorientur; haud alium sanè in finem, quam, ut dum actualia suæ imaginariæ fortitudinis specimina dare, aut corpus illorum imbecille aut meticolosus eorum haut ferat animus; saltem per inanem eiusmodi jactantiam, sese strenuissimos heroes aliis summa ope persuadere nitantur. Quæ profectò similesque ostentationes, tanquam argumentum ad torturam decernendam haud sufficere possunt. Ille vero qui facinus, appositis certis circumstantiis, in judicio confitetur, tanquam satis eo si tuis non ad torturam, sed ad penam promeritam trahendus est. Tandem ad torturam quoque singularem sequentia non sufficiunt indicia: utpote si res furta penes eum, qui suum Autorem non nominare sive laudare potuit, inventa; aut si instrumentum, quò mediante delictum commissum, penes aliquem inventum;

Propria confessio extrajudicialis facta non sufficit.

Nec res furta sive instrumentum

pene aliquem inveniunt sufficiens singularem sunt indicia. Facili enim negotio contingere potest, ut viri morum probitate conspicui, aliquid in foro publico à venditore ignoto emant, cujus autorem postea nominare haud valent. Quoad secundum etiam versutus nebulo non difficulter securim, gladium, vel aliud quodcumque fuerit instrumentum, inscio domino subducere eum in finem potest, ut illis delictum committat, & sic postea suspicionem ex illo instrumento desumant, in dominum derivet, &c.

§. IX.

Ultimo denique loco inter Doctores quaestio ventilari solet, an fuga ad torturam efficax sit argumentum? me autem in illorum Doctorum sententiam ire jubet aequitas, qui nullam fugam sive ante, sive post accusationem institutam, satis indicii ad torturam judicant. Sibi sola sive an- enim, vitæque suæ maturâ consulere fugâ, sæpenumero vel re, sive post innocentissimis conducere magis, quam sese judicium sæ- L. Contestavitæ, inimicorum potentæ, testium improbitas, judicii in- ram instru- certi alex & denique carceris molestiæ committere, quis ra haud sufficit. inficiebatur? Unde etiam Alcibiades ab Atheniensibus ad causam capitis dicendam vocatus, dixisse fertur: *Stultum est, fugâ sibi non consulere eum fugere liceat.* Scimus enim, quam mericulosa res sit, ignorantæ judicum vel Advocatorum malitiæ suam committere vitam. Cæterum & innu- mera pene alia indicia ad torturam singulatim sufficien- tia, narrantur à Doctoribus, quæ omnia hic specialius enodare, instantis itineris adventus haud permittit. In genere tamen ex iis, quæ antea prælibavi, satis apparet, nul- lum horum omnium per se satis validum ad torturam esse, nisi simul generalia quædam indicia, ex conversatione, vita, malitia, vel aliis circumstantiis Rei desumpta simul concurrant.

§. X.

Lustratis sic personis quibus: Causis, seu delictis, in quibus

quibus iudiciis deniq; ad quæ tortura dicitanda. Tandem præfixus Disputationis ordo flagitat; ut formam modumq; juxta quem praxis tormentorum instituenda, paucis tantum (quia aliorum Doëtorum scripta fatis hac de re loquuntur) intueamur. Varios verò si pensitemus modos, quibus tormenta infligi solent, illos tanto numero, diversas apud Gentes longe ab hinc crevisse comperimus, ita ut in illis enumerandis longe facilius initium quam finem assequi detur. Unde & B. Dn. Grav. verè dixit, *plura esse tormentorum genera quam corpora humani membra*; Sexcenta enim Lib. 1. cap. 4. de Tor. nominatus Autor refert ingeniosa hujus carnificinæ instrumenta; quæ tamen brevitatis studio, silentio transeo & hoc tantummodo dico, quod si impossibile sit, hunc irreligiosum extorquendæ veritatis modum, ex Foris Christianorum rejicere; ut tamen Judices, quibus adhuc Christianum pectus est, eò respiciant, quò ita tortura miseris applicetur Reis, ut postea si innocentes inveniantur, salvi evadant, atq; victum & amictum sibi suæq; familiæ acquirere valeant, l. 7. l. 10. l. 18. ff. b. tit. ut salvi e. Salvus autem ille demum intelligitur, qui nec vitam, nec membra corporis, nec sanitatem, nec vires ad vitam, postea sustentandam necessarias, amisit. Arator enim vel faber, si fuerit tortus, quis illum dixerit salvum? si ita sub tormentis vires ejus fractæ, ut operis diurnis familiam conservare haud possit. Melius ergo est, ut Judices hic in defectu quam in excessu peccent; Quo verò hac de re securiores esse possint, non statim à prandio, vel post sumtum largiorem cibum aut potum (quia periculosior pleno ventri est distentio) provolare debent. Ordinem insuper leges Judici commendant: non enim promiscue à quocunque initium sumendum, sed à suspectissimo, in quo Judex facillime inveniri posse verum crediderit, incipiendum, l. i. §. 2. ff. de quest. porro leges suadent, ab

sims

C

eo in-

A suspectis eo incipiendum quoque esse qui timidior est, vel teneræ
*simis & i-*xtatis videtur; præsertim si æque gravia indicia contra
midioribus illos militent. l. 18. pr. ff. b. t. Unde liberi prius, quam
incipiendū. parentes, feminae prius quam masculi torquendæ sunt.

& c.

§. XI.

Observati-
ones que-
dam circa
torturam
motanda,
hic expo-
niuntur.

Tandem etiam iudex suas observare debet partes. si
 Reus aut crimen confessus, aut sine confessione cruentum
 hoc examen perpassus est. primo casu ita Judici proce-
 dendum, ut sc. Reus ab equuleo remotus, sine ullo tor-
 mentorum apparatu interrogetur, sicque exploretur, num
 in illa confessione perseveret, num verò eandem recan-
 tet? si extra vincula ac dolores constitutus, illud, quod
 sub tormentis confessus est, asseveret condemnari potest,
 modo circumstantiis assignatis veritas confessionis confir-
 metur. Si verò confessionem sub tormentis factam ite-
 rum, doloribus exemptus, retractaverit, iterari potest qua-
 stio; quæ si altera vice Reo extorta, eodem modo, quo
 mox dixi, absque tormentis examinandus est; Quod si ite-
 rum recantaveris, tertia quoque vice in illum tortura de-
 cerni solet. Si vero post tertiam vicem dicta sua recla-
 met non iteranda esse tormenta communior & receptior
 DDrum opinio est; quia ab infinito natura & Jurispru-
 dentia abhorrent. vid. Brunn. in Comment. ff. ad l. 10. §. 2. b. t.
 Secundo casu vero siconstanti & immo animo crimen
 patrasse inficias iverit, nec illum dimittere potest Iudex;
 repeti namque posse quaestiones Divi fratres rescripserunt
 l. 10. pr. ff. de quest. Hoc verò ita restringendum, si nova
 superveniant indicia vid. Clar. §. fin. quest. 64. Farinac. quest.
 38. n. 88. Priora vero indicia hic non attendenda esse pu-
 to, quia per torturam purgata. Ideoque plane nova indi-
 cia hic requiruntur, quæ non tantum à prioribus speciebus
 diversa, sed etiam per se ad torturam inferendam suffici-
 entia

entia sunt, præsertim cum tortus pro se novam præsumptionem innocentie ex tortura consecutus sit, *l. 18. §. 1. de qd.* De repetitione plura non addam; si enim nova emergant indicia post torturam, super iis institienda inquisitio, examinandus quoque inquisitus, audiendi sunt testes & tunc denique casus de novo ad Collegium Juridicum transmittendus, ut illud cognoscat, an nova indicia ad torturam sint sufficientia, nec ne. Post ter vero repetitam torturam haud facile resumi debet; sed tunc, sicuti plurimorum DDrum sententia est, illum puto absolvendum esse, non ab instantia, sed ab ipso crimine *l. 4. C. de Edend. l. 7. de Accusation. l. 3. §. 1. de Prævaricat. l. 4. §. 1. ad confessus & L. Jul. de adult. l. 47. de O. A. l. 5. de pœn.* Putant quidem, *crimine non ab instantia solvendum esse, vel ut ipsorum verbis utar, rebus sic stantibus dimit- tum absolvendum esse, datis fidejussoribus de judicio sisti quoties se sistere jussus fuerit.* Sunt & alii, qui sub repromissionem Reum dimitunt, ita ut datâ dextrâ Judicio sisti sub pœna convicti promittat. His tamen non obstantibus contrariam sententiam veriore esse puto, quia auctore non probante Reus pure absolvendus *l. 4. C. de Edend.* verbum verò *absolutionis* in rebus dubiis absolutionem potius à crimine, quam ab instantia significat. Deinde etiam si ab instantia tantum absolveretur Reus, semper de salute sua, incertus & anxius inter spem metumque penderet, quod tamen durum & inhumanum esset. Unde etiam Alciatus Vir maximus *ad l. 233. ff. de V. S.* errare scribit illos Judices, qui, si Reum convincere nequeant; eum Rebus sic stantibus absolvunt; ut quodcumque si vel minima conjectura exfurgat, illum in carcerem iterum detrudere possint. Adjicienda videtur quoq; *l. ult. ff. de Calumniat.* ubi servus tortus absolvitur non rebus sic stantibus, sed ab ipso crimine: si enim ab instantia duntaxat absolutus fuisset, non queri

queri de calumnia Accusatoris potuisset. Denique ejusmodi criminis, cujus quis semel accusatus est, non potest iterum accusari, nisi novus Accusator suum dolorem persequatur, simulque doceat, prævaricatione prioris Accusatoris Reum absolutum esse, l. 7. §. ult. iisdem. ff. de Accusat. l. 3. §. 1. ff. de Prævaric. l. 4. §. ult. ff. ad L. Jul. de adul. & c.

§. XII.

De corpore delicti, an sequam torturam, et non est credendum. Coronidis loco Judex, quædam adhuc circa torturam observare debet. (1) quod de corpore delicti, antequam ad quam de tortura queratur, constare debeat. In occultis vero delictis DDres admittunt validas præsumptiones. (2) Notandum hic quoque, quod soli Reorum confessioni, non est credendum, si nulla probatio religionem cognoscere debet. tis instruat, Zanger. cap. 5. n. 69. Præstat enim in dubio decem nocentes dimittere, quam unum innocentem, confessionem tamen, condemnare. Unde etiam est, quod communiter, in eiusmodi occultis delictis, ubi de corpore delicti non certo constat, facilis lapsus fieri solet, præsertim in crimine Magiæ; de cujus existentia, an nempe revera detur, jam non sollicitus ero; sed potius remittam curiosam lectorem ad Exc. Dn. Præsid. Dissert. de Crim. Mag. Hoc tantum hic monebo Judicem, ut si ita in præjudiciis hæreat, & tot præconceptis opinionibus obcæcatus sit, ut veritatem hujus rei agnoscere haud queat; solutus legat verba B. Brunnem. in Comment. ad l. 1. ff. de quest. §. 6. & 7. ubi dicit, suspicor & ego, ob crimen Magiæ multas innocentes feminas concremari; ex infirmioribus enim argumentis torturæ subjiciuntur, unde metuendum, ne multæ præferant mortem ulterioribus tormentis, præsertim cum sub tormentis interdum pereant. Utendum itaque in hujus criminis vindictâ, Judiciratione, nec ita ad torturam properandum; multo minus tamdiu in tormentis detinendæ sunt miseræ faminæ, donec ex dolorum impa-

impatientia tandem illis falsa confessio extorqueatur. (3) Observandum quoque quod à tormentis non fit incipiendum, l. 8. C. de quest. l. i. ff. de quest. ideo enim inventa sunt, ut veritas, quæ aliter haberi non potest ex illis inclarescat; unde & cæterarum probationum quasi subsidiaria vocatur, vid. Gomez. Tom. 3. Resol. cap. 13. n. 29. Carpzov. *qv. A tormentis non est incipiendū* 119. n. 6. Si vero aliter extorqueatur confessio, nullius momenti illa est; Judex quoque, qui non servato ordine aliquem tormentis subjicit tenetur reparare & satisfacere Reo, de damno de injuria, de doloribus, de sumptibus & denique de aliis incommodis. Capitali etiam Judicio, *alias confessio extorta, pro nulla habenda,* Judex Reum dolose torquens & in tormentis enecans, *is Judex insuper puniendus.* subjiciendus est, vid. Carpzov. *Pr. Cr. quest. 127. n. 3.* Nec urpheda obstat agendi torto, quia uti tortura, ita urpheda nulliter quoque a Judice exacta: Quo vero hoc periculum effugiat Judex, peritorum consilia adhibere debet.

(4) Etiam addendum, quod Reo ante torturæ executionem, communicanda sint indicia, licet hoc non petierit, & videndum, an illa, dato termino ad perlustranda Acta, possit refutare sive elidere, vid. Anton. Matth. *lib. 48. tit. 19. cap. 4. n. 3.* Quod requisitum tamen moribus magis, quam Juri Rom. suos natales debet. Jure Rom. enim testes palam & præsentem Reo examinabantur, unde non opus erat communicatione; quod vero secus est moribus, unde hic necessario communicatio indiciorum observanda; solent equidem Judices hic cautelæ loco, Reo indicia denegare, ne processus inquisitorius difficilis reddatur; vel etiam Decretum de torquendo non palam interponere, ne appellandi occasio Reo detur & ita sumtus Processus multiplicentur: Sed iniquissima hæc est cautela, quæ Reo profcindit defendendi occasionem, unde B. Brunnem. Judicem bene monet, ut consulat peritiores, si ex justis causis appellationem Reo denegare velit, ne alias, si pro-

Ante torturam Reo communicanda sunt indicia, an illa elidere possit.

pria autoritate hoc fecerit, de crimine Syndicatus periclitetur, vid. Proc. Crim. cap. 8. m. 5 § 39.

CAPIT. II.
TORTURÆ MORALITATEM ET INJUSTITIAM CONTINENS.

§. I.

SIc aspirante Numinis gratia absolvi torturam & ejus praxin, quatenus Legibus civilibus & moribus approbatur. Nunc vero illam ad Legis Nat. ac sanæ rationis normam examinabo, ubi videbimus, quod indigna & refutata perlevia sint argumenta, quæ, pro stabiliendo hujus carnificinæ usu, ab illius fautoribus in medium proferuntur. Ut itaq; illud, quod jam dixi, demonstrarem; præcipua, quibus impugnatur ac plane convellitur funestum hoc de tortura placitum, lustremus argumenta illorumque simul quibus alii id frustra tueri conantur, debilitatem pro paginæ angustia detegamus. Inter argumenta vero, quæ exitiale hoc de questione documentum summopere dissuadent, in fronte hic sese offert summa ejus injustitia atque aperta iniquitas, quam omne torturæ exercitium, secum portet necesse est.

Primum argumentum contra torturam pugnantissimum est ab injustitia ejus.

Certissimum enim est & ex antea jam dictis patet, torturam esse medium inquirendi in crimen, quoad ejus autorem hæcenus dubium & incertum: Jam vero & ab altera parte non minus exploratum est, miseris Reos, de quibus an fontes, an vero infantes sint, nondum constat, in omni torturæ exercitio certissimis & indubitatissimis excarnificari cruciatibus. Poena itaque potius incerti criminis dicenda, quam medium inquirendæ veritatis; quia omnis corporis cruciatus, etiam si ante sententiam inferatur, poena est. Anton. Matth. ad Tit. de quest. c. 5. Verum enim verò omnia

omnis pœnæ, si iusta esse debeat, convictum Reum vel crimen verum, ad quod coercendum adhibenda, præsupponit; Cum verò, dum ad torturam quis abripitur, crimen dubium plane adfit, ideoque ratione istius, qui tantum suspectus est, revera crimen dici nequeat; Quo itaque æquitàtis fūco, quo rationis colore, crudelissimum hoc de tortura dogma, quo scelera incerti Autores, non modo certissimis, sed & plerumque longe severioribus, quam si revera convicti essent, pœnis subjiuntur, defendi possit, ego haud video. Duplici vero modo hanc torturam potissimum fallacem ac erroneam sæpe numero compertam fuisse, plurimorum Sæculorum Scriptores memoriæ prodiderunt, Primo, quod haud pauci, qui criminis verè Rei, fortiter omnem torturæ ferociam perferant, atque ita quantumvis fontes, nihilominus legitime per illam absolvantur. Secundo, quod contra homines innocentissimi, crebris fallaciis & fraudibus miserimum in modum opprimantur, atque iniquissime, ob confessionem vi extortam, ad mortem rapiantur.

Duo præcipue circa hæc torturam hic veniunt observanda

§. II.

Quod itaque primo multi vim quæstionis omnem constanter perpessi sint, nihilque confessionis ediderint, licet postea superadventitia indicia illos nocentes demonstraverint, in aprico est. Ipse enim JCtus hoc, §. 23. ff. de quest. candidè fatetur, dicendo: plerique patientiæ sive puritiæ tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo queat: alii vero sunt tanta impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta malint; ita fit ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum se, sed etiam falsè alios criminentur. Sunt verba ipsius JCti in d. l. Quibus B. Brunn. suam opinionem adjecit. in Proc. Crim. cap. 3. m. 5. §. 17. dicendo: Quæstio sane est res dura, corporis que hominum admodum nociva & quantum

Multa nocentes patienter tor-turam sustinent niti-bilè, confitentur & sic injustè absolvuntur.

& quandoq; lethalis est, nihilq; tam crudele & inhumanum, quam hominem ad imaginem Dei conditum tormentis lacerare & quasi excarnificare; præsertim dum Judex post torturam non potest certior & securior de crimine confesso, in conscientia esse, quàm ante torturam erat; qui mentiuntur, qui pati possunt, mentiuntur quoræ qui pati non possunt. Exempla multorum passim extant, qui delicta commissa non sunt confessi: Refert enim Tacitus *Lib. 4.* Hispanum illum, qui Pisonem necaverat, concios edere adactum, in mediis tormentis magna voce clamasse; frustra sese interrogari, nec ullam vim talem dolorem proferre, ut veritatem eliceret. Quam pertinaci quoq; animo Epicharis mulier libertina, quam Nero, ratus muliebri corpore impar dolori esse tormentis dilacerare jussit, spretis omnibus dirissimis quæstionibus, cruciatibus omnia pernegavit, quæ rogabantur, vid. apud Tac. *Lib. 15.* Sed quid exemplis, jam temporis antiquitate pene deletis, recitandis me detineo; testimonia enim hujus rei etiam in Patria mea obvia fuere; Ante aliquot annos enim Colbergæ honestus quidam Vir, in suspicionem, ac si propriam uxorem occidisset, incidens, torturæ subiciebatur, nihil tamen sub dirissimis cruciatibus confitebatur; hic vero si nocens fuerit, injuste ob peccatam torturam absolutus est: Si vero innocens, qualem iste miser & adversus quem, ob injuriam sibi illatam regressum sumere debet? Videt ergo Judex, quod frustra Reos indicis gravatos, quæstionibus dari curet, & quod nec quicquam, hæc torturæ praxi vindictæ publicæ consultatur, cum, nulla expressa per tormenta confessione, etiam juxta leges civiles haud puniri possint Rei: Imo vero vindictæ publicæ hoc in casu potius resisti, atque obicem poni, quis non cernit? quando quidem ter tortus & nihil confessus absolvendus, & quidem non modo Jure Romano

*Exempla
quædam il-
lorum, qui
torturam
perpessi, &
sic injuste à
crimine ab-
soluti sunt.*

Romano ab instantia, sed & ab ipso crimine, ut aliqui putant,

§. III.

Secundo quoque per torturæ praxin innocentes plurimi opprimuntur, ac perquam inique ad mortem rapiuntur: quod etiam confirmat Sulpit. Vict. in *Inst. Orat.* dicens: miserime, proh dolor! per sineustum hoc exercitium opprimuntur mortales, cum tormentis dirisissimis, ac plusquam belluinis, adeo excarnificantur, ut crimen aliquod, ^{Multi innocentes ad evitandos} cuius fortassis ne quidem unquam illis fuit cogitatio, se se commississe mentiri, atque ita torti mendacio, suis cruciatibus finem quærere necesse habeant. ^{sapientius con-} Insuper quoque ^{sistentur de-} postea miseri mortales ita pius tormentis oppressi, ^{licitum quod} tandem iniquissime ad mortem condemnantur, & sic ^{ponuntur} ^{quæ-} ita unum absurdum sequentur plura; Miseri enim mor- ^{commis-} tales subitanea morte potius perire, quam recantando su- ^{rumi.} am confessionem, iterum ipsa morte longe diriores tormentorum cruciatu subire, satius ac lenius ducant. Quod & Cicero *Lib. 2. ad Herenn.* confitetur, dicens: dolorem fugientes multi in tormentis sæpe e mentiti sunt, morique maluerunt falsum fatendo, quam inficiando dolere. Ipse Beat. Græv. suo tempore jam exclamavit: Ah! quantus eorum numerus, quam ingens eorum turba, quorum innocentiam crudelissime oppressit tortura. Certe tam frequentes olim ubivis locorum, hi fuere & adhuc hodie sunt abusus, ut vix describi possit. Seriem vero, illorum per hanc immanem torturam, oppressorum, hic transcribere, nimis ardui, quibus inclusus sum, limites hujus Dissertationis respuant. Videbis hac de re Valer. Max. *lib. 8. cap. 4.* P. Hoffi. *lib. 10. Histor. Belg.* Græv. in *Trib. Resor. lib. 1. cap. 6. lib. 2. cap. 4.* Add. Just. Oldekopp. in *Observ. Crim. in fin.* ubi dictus Autor Appendicem exhibuit, in qua 42. ^{ex-} ^{empla} illorum refert, qui injuste torti, dolori cedentes

D

delicta

*Extorta,
confessione
multi innocenter
condemnantur
ad mortem.*

*Judex de
crimine
commissio
non potest
torturam
quam an-
tea erat.*

*Mentitur
qui pati
potest, men-
titur qui
non potest
pati.*

delicta non perpetrata confessi; & sic innocentes ultimo supplicio affecti sunt. Ipsa quoque S. Scriptura ejusmodi sanguinolentum Processum detestatur atque abominatur; Sanguis enim innocenter effusus clamitat vindictam coram Deo *Apocal. 6. 10.* Et quam anxie quoque innocentis sanguinis effusionem inhibitam *vid. apud Jerem. cap. 7. v. 6.* Ipse quoque Deus T. O. M. dicitur odisse & abominari illos, qui innocentem effundunt sanguinem *Prov. cap. 6. v. 15, & 16.* Cui itaque bonæ rei amabo inservit cruenta hæc quæstio? decernitur procul dubio eam in finem, ut de delictis hæctenus dubiis, plenius instruat atque certior reddatur Judex; Ast quid certitudinis judicantibus adferat res, quæ (fatentibus ipsis Jctis *l. 1. §. 2. ff. de quæst.*) fragilis & periculosa est, ego haud percipio; Hinc potius judico, quod certa notitia haud instruere possint judicem tormenta fallacia, præsertim quia sub illis mentiuntur qui pati possunt, mentiuntur etiam qui pati non possunt; & sic illi patientia aut obstinatione superant tormenta, hi vero infirmitate & crudelitate tormentorum superantur. Hanc itaque miseriam Augustinus intuens, in hæc verba prorumpit: quid est intolerabilius, magisque plangendum, & si fieri posset, fontibus lacrimarum, quam quod propterea Judex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem; sit vero per ignorantiam miseriam, ut & tortum & innocentem occidat: quem, ne innocentem occideret, torserat. Verissima sane verba! quæ, utinam cujusvis Judicis menti in fixa hærent, ne tam temerè, ad quamcunque per tormenta expressam confessionem, tot miseri mortales ad immeritam mortem abriperentur.

§. IV.

Torturam porro cane pejus & angue, in omnibus bene constitutis Rebuspubl. fugiendam esse, insignia inevitabiliaque mala, quorum illa certissimus fomes est, fraudent.

dent. Ecce enim quæstionem, paratissimum omnibus Tyrannis, summa sub injustitiæ specie, insubditos seviendi medium. Nunquam enim Tyranno ficta & subornata deerunt argumenta, quibus illos, quos suæ sævitia elegerit objectum, juxta leges tormentis subjicere, miserisque sub egregio æquitatis prætextu, diris finis cruciatibus percutere poterit. Exempli loco hic prodeat Tiberius, qui ad mortem damnatis, & ut loco torture sibi mori liceret petentibus, respondisse fertur: *se nondum ignovisse*, & sic mortem tandem quasi muneris loco concessit. Deinde etiam non tantum summis imperantibus, sed etiam omnibus potentioribus simul ac privatis, planissimam, sua scelera tute explendi, immanis tortura parat viam. Potentioribus enim, qui forte imperium Tyrannidemque affectant, vel etiam aliis fallaciis se potentiores ditioresque reddere student, in promovendis suis desideriis egregie operam navabit hæc bellua; Quos enim sibi graves suisque conatibus obicem ponere vident illos fictis aliquibus judiciis suspectos redditos ab torturam abripi curabant; ubi tunc nullus expectandus dolorum finis, nisi ut per objecti criminis confessionem ad mortem condemnentur miseri de Republ. optime sæpe meriti. En itaque paratum medium, legitime ac sub pallio justitiæ, ab inimicorum gravi præsentia, sese liberandi. Memorabile hujus rei exemplum nobis suppeditat Cratero ac Philota: Cum enim à gravi Philotæ præsentia sese liberare moliretur Craterus, nihil expeditius excogitare potuit, quam ut Philotam Regi Alexandro M. conditionis suspectum redderet, quò per tormenta fictionis suspectum redderet, quò per tormenta factum extorquendi occasionem nactus, ipsum e medio vi præsentia tolleret; nec illum sefellit quoque exitus, sed potius, licet impie, tamen dextre se ab æmulo suo liberavit Craterus, Apud Pontificios etiam hæc questio optimum adhuc re-

D 2

medium

Questio omnibus Tyrannis præbet occasionem sibi specie justitiæ in subditos seviendi.

Potentioribus in quibus in quædam Republ. præbet viam torturam in nocentibus & sibi viciniis nocendi.

Exemplum Crateri qui per torturam a gravi vi præsentia liberavit.

Apud pon- medium est, a piis & probis viris quibus illorum fraudes
sificios cor- & fallaciæ nam in religiosis, quam in aliis rebus seculari-
ura est o- bus notæ sunt, sese liberaedi; aut enim illos de crimine
ptimum re- magis suspectos postulant, & postea dirisimis tormentis
medium subjiciunt, ut sic tandem, extorta propria confessione, il-
Viros pios los, sub specie justitiæ ad mortem condemnare possint. Et
& probos itaque optimum inquirendæ veritatis medium. Denique
& Patribus etiam B.Dn. Grav. in Trib. Reform. satis demonstravit, quod
invisos sub & homines privati parem subinde injustitiam exercere
hæreseos & possint, dicit enim lib. 2. c. 3. corradere facile poterit aliquid
magia è malignorum hominum ingenium, quo torturam in Adver-
Repub. sol- sarium apud Judicem impetret; Commodam enim facino-
lendi. rosis suppeditat occasionem, scelerum quæ ipsi commise-
Et privati rant pænas, in alios innocentes derivandi: Exempli loco
privatis hic referam illud, quod mihi Ultrajecti a Viro doctissimo,
quoque per de futuro quodam viro innocentissimo narratum est; hic
torturam enim, ex falsa latronis alicujus nominatione in carcerem
nocere pos- coniectus, objectique criminis culpam vi metuque doloris
sunt. confessus, & sic denique tristi supplicio, coram oculis la-
 tronis subiectus est: Peraçto hoc spectaculo in cachin-
 nos solutus latro, satis alta voce exclamavit, annon tibi
 miserrime futor pulchre, prout juraveram rependi? Attoni-
 titi hanc rem audivere Judices, quibus interrogantibus
 quid hoc rei, sceleratissimus respondit latro; se aliquan-
 do huic futori, quod par calceorum gratis sibi dare denegasset,
 pessima quæque minatum, & nunc denique illius
 injuriæ vindictam pulchre satis perfecisse. Quo postea
 factum, ut illius loci ita torturam restrinxerint, ut jam
 quasi in totum sublata v deatur.

§. V.

Illud quoque torturæ incertitudinem ejusque pro-
 inde imperfectionem non obscure arguit, quod in plerisque
 torquendi modis, tormentorum dolores exasperare & re-
 mittere

mittere in solius carnificis potestate sit: Ille enim pro
 lubitu Reos, vel majoribus vel minoribus affligere potest
 anxietatibus, ut vix imo vix Judex discernere queat, num
 fevere, num vero mediocriter tantum torqueatur Reus. *Carnifex*
 Quapropter quandoq; contingunt, ut Carnifex, aut num- *hic Judicis*
 mis corruptus aut quacunq; aliâ ex causa, externo appa- *in appli.*
 ratu ferociter torquere fingat, quem, interim leviter tan- *Reus. candidis in-*
 tum ferit; ut & ab altera parte, aut ab alio conductus vel *strumentis*
 ex alia ratione severissime illum puniat, quem tantum- *facum s-*
 leviter torquere simulat. Quia itaq; Carnifex utroque *tere potest!*
 modo facum facere potest Iudici, satis exinde apparet, pa-
 rum certitudinis ac fiduciae Iudici, quod Reus sub tor-
 mentis confessus aut difessus sit, emergere posse. Milita-
 tat quoq; maxime contra quaestionis usum, quod ipsissimo
 Juri Nat. exinde vis inferatur; illud enim dicitur, quod
 unusquisq; justis; & ad sui defensionem, conducentibus
 mediis uti, atque sic per consequens vitam suam defen- *Juri Nat.*
 dere possit; Et cum sic consensu fermè omnium populo- *per tormen-*
 rum defensio sui adscribatur Juri Nat. quid quaeso aliud *ta vis infer-*
 est, compellere mortales ut per propria facte sibi exitium *tur.*
 quarant; quam funditus exstirpare decantatum illud Ju-
 ris Nat. principium, *sui defensionem nemini esse prohibendam.*
 Miseri enim Rei sub tormentis in sui perniciem id supple-
 re adiguntur, quicquid certitudinis adhuc ex testium aut
 argumentorum penuria, ad illos condemnandos Iudici
 deest, & sic dum propria sua confessione contra se pu-
 gnare coguntur, sui ipsius proditores torti constituuntur.
 O orem immanem! siccine cum Christianis proceden-
 dum? B. Dn. Grav. in Trib. Reform. lib. 2. cap. 2. recte docet,
 quod in civilibus iniquum sit à Reo confessionem, quasi
 gladium ad illum jugulandum, exigere; domo enim ad-
 ferre intentionem & instructum ad Judicem venire o-
 portet actorem; quanto verò majori jure, iniquum illud
 quis *Sui ipsius*
proditor
Reus consti-
tuitur.

quis exclamet placitum, quod in criminalibus, ubi de corio & vita humana agitur, Actorem a Reo confessionem exigere jubet.

§. VI.

*In S. Script.
nullibi hujus
truculentiæ
torturæ
mentio fit.*

Torturæ quoque praxin exinde vituperandam esse censeo, quod nusquam in uniuerso s. Codicis contextu, hujus truculenti veritatis exprimendæ mediis, ullum videre detur vestigium. Minime vero, ut verbis Anton. Matth. loc. sæpe cit. utar, yerosimile est, si ad veritatem indagandam necessaria esset quæstio, Deum T.O.M., cuius leges, sine scelere, imperfectionis, argui non possunt, tam præclarum inventum prætermisurum fuisse. Divina enim vix ferre videtur iustitia, si iustum ac expeditum criminum investigandorum tortura foret medium, a Deo illam in S. Literis silentio fuisse præteritam: crimina quippe pænis expiari, quoniam adeo necessario divina exposcit iustitia, illam Provinciam quoque Judicij seculari tam serio mandavit Deus; hinc certe plus quam probabile evadit, si occulta crimina per quæstionem tam dextre legitimeque probari, & sic per consequens puniri possent, in terris judicaturis, illam criminum puniendorum viam indigitatum fuisse Deum. Sed quid dico tantum, nihil dicere de tormentis divina folia, nonne tacite sic satis prohibetur tormentorum praxis, dum ubique supremus Legislator in rebus dubiis probandis, ad testes & argumenta, nusquam vero ad torturam terrestres relegat iudices? Adducitur quidem a nonnullis pro defendenda quæstione, palmarii instar argumenti, potio amara ac maledicta de qua Num. 5. injicitur mentio; at illam toto cælo a tortura distinctam fuisse, demonstratu perfacile est. Bibenda enim dabatur mulieri adulterij suspectæ cum in finem, ut assumpta hac potione mulieris venter intumesceret, simulque exinde pro commissio facinore, cruciatus non

*Deus in reb.
dubiis prob.
iudicem re-
legat ad te-
stes & ar-
gumenta,
unde tort.*

non levis exagitaretur; sin vero criminis insons foret *u-tacite vide-*
 xor, nihil omnino doloris aqua amara illi adferret, sed illæso *tur prohib.*
 corpore evaderet. Inde multa specialia & a torturæ genio ab- *Resolvitur*
 horrentia hic notare licebit. Primo quod infallibilis ex hac *argumentū*
 potione propinata, aut culpæ aut innocentia emerferit pro- *a potione a-*
 batio: unde miraculosam & supernaturalem hanc fuisse pro- *mara de-*
 bationem, plus satis arguit textus S. Scripturæ. Quis vero *sumum.*
 eo dementia procedat unquam, ut torturam, rei dubiæ pro-
 bandæ modum infallibilem pariter dicat ac miraculosum?
 Certe, quæ ante de quæstione adstruxi, merito me ex-
 clamare jubent cum B. Dn. Grav. absit in tortura sacrum
 quid aut miraculosum suspicemur; absit certum illud at-
 que infallibile ullo modo arbitremur, quod tortura nobis
 de veritate delictorum pandit, *in Trib. Reform. Lib. 2. cap. 1.*
 Secundo, hæc potio solos tantum excarnificat nocentes:
 torturæ vero cruciatus immanissimos, tam nocentes quam
 innocentes perferunt. Tertio, illa quoque inter torturam &
 hanc potionem differentia annotanda; quod hæc non, nisi
 in solo adulterii crimine investigando adhibita fuerit, illa
 vero in quovis delicti genere adhibetur. Quarto, potio ama-
 ra non erat solus adulterii probandi modus; sed & simul
 nocentibus iusta poena, quod secus in tortura est; ubi
 cruciatus communiter non habentur pro pœna, sed dete-
 cto demum crimine ad facinoris poenam itur. Alii ad as-
 ferendam torturæ praxin producunt argumentum est *Act.*
 22. v. 24. & 25. ubi Apostolus Paulus, ad exprimendam ipsi
 veritatem jamjam loris cadendus, non ideo deprecabatur
 quæstionem, quod injusta foret, sed hanc solum ob cau-
 sam, quia Civis romanus erat, quem, ut in primo Cap. de-
 monstratum est, Leges Civilis non facile torqueri per-
 mittebant. Sed Resp. Paulum Apostolum quæstionem si *Resolvitur*
 ve torturam, quæ tunc temporis tam altas in Republica *arg. a Paulo*
 Romana jam egerat radices, tanquam injustum modum *defusum.*
 proce-

*Differentia
 precipue
 inter tortu-
 ram & po-
 tionem a-
 maram re-
 censentur.*

*Resolvitur
 arg. a Paulo
 defusum.*

procedendi, non deprecatum fuisse, haud est, quod admitemur. Noverat enim Paulus sese parum profecturum in alleganda juris iniquitate superbis illis Romanis, qui (testante Ciccone *Lib. i. de Orat.*) arroganter sibi persuadebant, quod omne jus præter Romanum, ridiculum & inconveniens esset. Ast mihi quendam regentem audire videor, quorsum isthæc demonstratio scil. in S. Literis nullum reperiri torturæ exemplum; ideoque quia S. Scriptura de illa contitescit, quæstio ex nostris exturbanda est Judicis? Multa enim pro diversa Reip. forma, admitti præcepta, quæ in alia non obtinent, non raro postulat necessitas. Unde etiam est, quod multa in Judiciis nostris recepta, quorum in S. foliis ne verbulum quidem reperitur. Sed facilis his similibusque object. responsio est. Non equidem inficior, pro diversa regiminis forma varias quoque condendas esse leges; verum tamen nulli Populo & præsertim Christiano integrum est, in suam introducere Remp. tales leges, ex quibus æquitas illa ac justitia, qua cunctæ a Deo olim latæ leges nitentur, exulat. Hinc non ideo extirpandam suadeo torturæ praxin, quod nullo S. Scripturæ textu suffulta sit; sed ideo illam non admittendam esse concludo, quia nihil penitus in tortura conspicuum est, quod vel umbram veræ illius justitiæ aut genuinæ æquitatis, quam in omnibus præceptis divinis observare licet, sapit. Hoccine enim B. L. æquitatem indicat, plectere quempiam, quem modum constat sonitem esse nec ne? Hoccine justitiam sapit, noxios impunitos dimittere, & contra innoxios morte punire? Hoccine rationi naturali consentaneum est, homines ad sui ipsius eadem constringere? Quæ omnia & longe plura in torturæ praxi involvi, jam satis demonstratum dedi,

§. VII.

Tandem

Coronidis loco duo sese offerunt, quæ præ cæteris tortu-

*Tortura
non ideo ex
foris nostris
extirpan-
da, quia il-
lorum in S.
Scip. nulla
fit mentio,
sed quia æ-
quitas Chri-
stiana in il-
lis exulat.*

torturæ praxin Christianis suspectam admodum atque in-
visam reddere debent. Primum est, quod ab hominibus
gentilibus primitus ortum duxerit, & per illos, quasi per-
traducem tandem ad nos delata sit hæc serina inquisitio:
Quamvis enim Romani præ ceteris quidem sui temporis
Populis æquitati maxime studerent; gentilem tamen ac
severiorum illorum animum luculenter satis comprobatur
vel unica eorum usitata consuetudo, qua quondam homines
solenni spectaculo sese mutuis vulneribus transfodere in-
citabantur, sanguineosque ejusmodi lusus non modo Ma-
gistratus permisit, sed & mortales, spe præmiorum, ad
belluina hæcce invitavit exercitia. Alterum, quod homi-
nibus religiosis suspectum reddere debet quæstionis ex-
ercitium, hoc est: quod Romani, quantumvis ferocioris
ut probatum, indolis, in mancipia primitus torturam tan-
tum instituerint, neque unquam facile liberos homines, si-
ve Cives Romanos, tormentorum cruciatibus subijci vo-
luerint. In servos itaque solos, quoniam ab initio adhibue-
runt quæstionem Romani; nonne hinc satis indicium exfur-
git, illos ipsos satis vivide jam perpensisse torturæ iniqui-
tatem? mancipiorum vero apud illos tam misera ac de-
plorabilis erat conditio, ut juxta illorum Leges nulla iis
fieri potuerit injuria §. 3. *Inst. de Injur.* quadrupedibus as-
similata fuerint l. 2. ff. ad L. Aquil. ut & ipsa occidere im-
pune licuerit Romanis. Hæc omnia itaque satis manifeste
demonstrant, quæstionem, utpote à gentilibus & feroci-
bus Romanis introductam, ut & in Mancipia, quæ vix
homines dicebantur, primitus tantum exerceri solitam,
longissime ex tribunalibus Christianorum, quibus Evan-
gelica semper cordi esse debet mansuetudo, proscriben-
dam esse. Sed vereor, ne ita, ut suo tempore jam L. ad
Viv. in *Comment. ad Aug. de Civit. Dei* monuit, conquere-
nti futuro tempore cogat: Christianos homines tam mul-

E

ta gen-
tur, ergo
inde conclu-

*Probatum
quod Chri-
stianos non
deceat ex
duabus cau-
sis torturam
in suas ad-
hibere Fo-
ris.*

*Prima est
quod à fe-
rocioribus
Gentibus
ortum
traxerit.*

*Secunda est
quod licet
Romani fe-
rocioris in-
dolis essent,
tantum in
servos pri-
mo adhibu-
erint.*

*Servis nulla
ferebat inju-
ria.*

*Liberis ve-
ro homini-
bus sit inju-
ria, si inju-
ste torquen-
tur, ergo
inde conclu-*

dicitur quod ta gentilia, & ea, non modo charitati & mansuetudini christi-
tortura ex stianæ contraria; sed & omni humanitati repugnantia, mor-
Foris Chri- dicus tanquam religiosissima retinere.

stianorum

§. VIII.

longissime

si profri-
benda.

Resolunt-

ur argu-

menta, vna

a dissenti-

entibus pro

defendenda

tortura pro

poni solent.

Abolvimus itaque argumenta contra torturam pu-
 gnantia, nunc lustranda quoque veniunt illa, quæ pro
 defendenda ejus Praxi adduci solent. Primum vero, quo
 defendi solet, argumentum, usus longævus atque invecera-
 rata apud tot Populos consuetudo est. Ante ipsius urbis
 Romæ cunabula enim, apud Athenienses Rothiosque (à
 quibus non exiguam suarum Legum Romani mutarunt
 partem) hic veritatis investigandæ modus jam invaluit;
 quia vero longa consuetudo non minorem quam ipsa lex
 continere debet vigorem *l. 33. ff. de LL.* hinc illi torturam,
 utpote tam antiquitate, quod tot populorum consensu
 corroboratam necessario tanquam legem in Rep. esse salu-
 tandam, acriter contendunt. At, quis non videt infirmitatem
 hujus ab antiquitate desumpti argumenti? legis autoritate
 munitam esse debere, consuetudinē, haud inficior ego;
 attamen ut aliquid veræ consuetudinis insigniatur, nomine,
 & per consequens Legi virtute donetur non sola antiquitas,
 non actum frequentia, nec solus multorum Populorum
 consensus sufficit; quia Errantium multitudo non relevat
 aut corrigit erroris turpitudinem, nec malæ causæ
 justitiam multorum patrociniis purgant. Sed rationale
 insuper nulloque errore primitus introductum esse oportet
 illud, quod veræ consuetudinis meretur titulum *l. 39. ff. de LL.*
 Malæ verò consuetudines neque ex longo tempore,
 neque ex longa consuetudine confirmantur, *vid. Nov. 134.*
 Siquidem itaque teste Imperatore, rationabilem
 nulloque errore introductam esse decet consuetudinē,
 ut legis autoritate gaudeat; sequitur omnino hanc summè
 irrationabilem, gravissimoque errore introductam.

troducendam torturam, consuetudinis nomine indignam esse. Aliud quoque, quod tortura defenditur, ex Justiniani aut alterius Principis Rom. auctoritate, elicitur argumentum. Inquiunt enim hujus sanguinolentæ carnifici-
 næ fautores: quemadmodum & alia in Juris Rom. sacra-
 ria instituta, apud nostrates legum gaudent auctoritate; *Resolvitur*
 ita & hoc de quaestione placitum, tanquam à Justiniano *argumen-*
 aliisque Imperatoribus confirmatum, legum numero exi- *tum ab ob-*
 mere, hanc quaquam imperatoria illorum legislatorum *ligatione*
 finit Majestas. Sed debile me herculè! ac imbecille pro *Juris Rom.*
 funestis tormentis hoc argumentum est: Notum enim, *definitum.*
 quod nullus Princeps, penes quem in terris residet Ma-
 jestas, alterius majestatis legibus obedire, necessum ha-
 beat; Et quia sic quilibet Principum hodie id potest in
 suo territorio, quod potest Imperator in Imperio; sic quoque
 exinde fuit, unumquemque Imperantem posse leges in
 territorio suo male receptas abrogare, æquioresque in illarum
 locum substituere.

§. IX.

Acrius quoque pro defendendis quaestionibus à dis-
 sentientibus objici solet, quod nempe sine gravissimis Ju-
 diciorum incommodis illa Praxis tolli nequeat: quemad- *Resolvitur*
 modum enim Reus de cujus innocentia jam constat, ab *argumen-*
 solvendus; ille verò quem criminis fontem esse liquet, ad *tum à neces-*
 debitam pœnam condemnandus: ita etiam medium ad- *sitate de-*
 hibendum, per quod, aut suspecti innocentia, aut ejus *sumptum.*
 dem (ut barbare loquar) nocentia Judici emergat, juste
 que Reus exinde aut absolvatur aut condemnetur; huic
 autem rei, quoniam luculenter admodum inservit tortu-
 ra, maxime in Judiciis nostris retineanda videtur. Sic dis-
 sentientes putant. Sed nullius momenti hæc objectio est,
 quis enim non videt torturam esse rem fallacem, pericu-
 losam & erroneam, neque post adhibita tormenta Judices *Probatum*
 de patrato crimine esse certiores, quam antequam Reus *quod tortu-*
 egv-

*va sit fallax
inquirenda
punitis
medium.*

equivaleo fuerit impositus. Fatentur utrique ipsi Adversarii neminem aut absolvendum aut condemnandum esse, nisi aut de innocentia, aut de crimine commisso liquido constiterit. Sed quid quæro hic præsidii in suspecti hominis reatu aut innocentia detegenda, adferet tortura, quæ adhibita non magis, quam si non adhibita, tranquilla conscientia quempiam condemnare, vel absolvere poterit æquus Judex, utpote quæ tam crebræ quæstionis fallaciæ haud ignarus, rem omnem non modo haud probatam, sed & magis suspectum, quam antea erat, habiturus est? Ex quibus itaque satis liquet, illos gravissime errare, qui supponunt, torturam esse medium, quo mediante suspecti aut absolvi, aut condemnari queant.

§. X.

*Provocatur
ad refutan-
dam dissen-
sientium o-
pinionem
ad mores
aliorum
populorum
penes quos
nulla tortu-
ra praxis
supersit.*

Dissentientes porro iniquum esse ajunt, ut, quem indicia nonnulla suspectum arguunt, ille vel absolvatur, vel condemnatur. Ad refutandam vero hanc opinionem, provocho ad Anglorum, Batavorum aliorumque Populorum mores, penes quos, licet nullus torturæ hodie supersit, usus, tamen nec suspectus pure absolvitur, nec etiam, condemnatur: Detinent enim criminis suspectos per aliquod temporis spatium in vinculis & accuratissimam contra illos inquisitionem instituunt, si vero ex instituta hac inquisitione aut de illorum innocentia, aut commisso crimine non sufficienter constet, datis fidejussoribus de Judiciis sisti, tamdiu ab instantia absolvunt, usque dum graviora contra illos exurgant inquirendi argumenta. Posset vero hic quis objicere, quod cautio tamen in criminalibus non locum habeat; sed Resp. concedendo, quod non semper locum habeat, ubi verus jam adest, Reus & criminis convictus, hic vero tantum suspectus adest, qui nullo modo convinci potest; Ergo procedendum hic eodem modo, ut fieri solet, quando Reum obter perperam tor-
turam

turam ab instantia absolvunt, datisque fidejussoribus de
 Judicio sisti ita dimittunt, ut data dextra sub pœna convicti
 promittat obedientiam. Et denique quid si concedam
 Judicem sic esse coactum, aliquando suspectum & sic for-
 tasse verum criminis Reum absolvere; exinde tamen non
 sequitur, quod ipsi, ut huic incommodo obviam eat, ad
 quæstionis usum, qui obnoxius est tantis fallaciis, provo-
 landum sit. Hoc enim, ut fiat, non patitur illud Aposto-
 li monitum: non esse facienda mala, ut inde eveniant
 bona. Fungentur itaque magis lecture suo officio ille Ju-
 dex, qui sua judicia divinis præceptis, quæ nusquam il-
 lum violentum hoc examen docent, conformat, & Deo
 tanquam soli animorum & renum scrutatori, occultos sce-
 lerum Autores puniendos committit. Dissidentes por-
 ro urgent, quod tamen iniquum sit, ut aut suspectus ab-
 solvatur, aut condemnatur, adeoque ad hanc provolandam
 esse torturam. Egregie sane! quasi vero suspectus, qui
 ad torturam rapitur, non condemnaretur. Dicit enim ex-
 presse Anton. Matth. *ad tit. de quasi. cap. 5.* omnem corporis
 cruciatum, etiamsi ante sententiam inferatur, poenam esse
 Quam immanes vero ac diros cruciatus subeat miser sub
 tortura, non est, quod hic rursus operose demonstrem;
 certum enim est, vix ullum tormentorum genus nunc u-
 surpari, quod cum ipsa morte, mille modis non sit com-
 parabile. En itaque dextrum ac lepidum torture inventum,
 ne quis tanquam suspectus condemnatur.

§. XI.

Denique hujus carnificinæ Patroni provocant ad experi-
 entiam, dicendo: quod non una vice, homines facino-
 rosi, expressa iis per tormenta veritate, pœnas experti sint
 promeritas, qui alias, si tormenta adhibita non fuissent,
 haud puniri potuissent; & sic omnino putant tormenta,
 tanquam medium eruendæ veritatis certissimum, in qua
 libet bene constituta Rep. toleranda esse. Sic illi; sed loco

E 3

respon-

*Sicuti post
 perperam
 torturam
 Reus, licet
 verè crimē
 commiserit,
 absolvendus,
 ita etiam
 in delictis
 occultis
 absq; tortu-
 ra procedendum.*

*Deo renum
 scrutatori
 occultorum
 delictorum
 vindicta est
 committen-
 da.*

*Probatum
 quod omnis
 corporis
 cruciatus
 pœna sit, &
 quod sic sus-
 pecti puni-
 antur, quod
 tamen inju-
 sum.*

*Obicitur à
 dissidentibus
 b, quod per
 torturam
 obscura sa-
 pius delicta
 detecta sint.*

Experientia à contrario, dissentientia argumento opponitur.

responsionis, experientiam experientia oppono. Inquidem enim dissentientes, salutem Reipub. expolcere, ut homines facinorosi puniatur. Fateor & ego illud, sed contra assero, Reip. magis interesse, innocentes non excarnificari pœnis acerbissimis, nec morte plesti immerita. Illi deinde ad experientiam, quæ sapius docuit, facinorosos per extortam confessionem iustis affectos esse pœnis, provocant: ad quam & ego pro defendenda mea opinione provocho; palam enim est, quod multi, non dicam plurimi, mediante hac carnificina, delicta nunquam commissa confessi, & sic iniustus pœnis ac immerita morte affecti sunt. Exempla illorum hic recensere, pagellarum angustia prohibet, hinc curioso Lectori commendo Auctores *supra* § 3. *hos. Cap.* jam adductos, ubi infinita exempla, iniuste tortorum & immerita morte affectorum legere licebit. Ego interim satius esse puto cum Trajan. impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare *l. s. pr. ff. de pœn.* quod in-

Dicitur S. super comprobatur *Genes. cap. 18. v. 27.* ubi Arahamum, excidium, quod Deus minitabatur Sodomitis, non aliam ob causam, deprecantem cernimus; quam, quod pauci adhuc in illo Populo superessent probi & pii homines, quibus tunc una pereundum fuisset. Deinde etiam parabola Christi huc spectat: ne colligendo Zizania, eradicetis simul triticum, finite utraque simul crescere usque ad messem *Matth. cap. 13. v. 29.* Ad similitudinem itaque hujus Dicitur, Judex salva conscientia decem nocentes, de quorum delictis sibi non certo constat, potius, absolvere, quam unum innocentem torturæ subijcere, & extorta confessione ad immeritam mortem condemnare potest. Ex hisce itaque assertis sufficienter constare autumo illud, quod in rubro hujus dissertationis affirmavi, torturam nempe tanquam rem irreligiosam, injustam, & juri Divino ac naturali contrariam, ex foris Christianorum longissime pro-scribendam esse.

EER.

EER - KRANS

gevochten vor den geleerden Heer, den Heer
MARTIN BERNHARD,

*als zijn Ed. met eene algemeene toejuichinge, tot Meester in
beide de Rechten verklaard wierd in Hall van een be-
kandten Vrijnd uit Utrecht.*

NA zo veel arbeid ziet me uw' naerftigheid geloofd!
Uw deugd met heerlijkheit op't deftigfte gekroond
Nu word uw' hoofd verfiert met onverwelkbre blaaden,
Zie hier de vruchten en die schoone pronk-fieraden
Van uwe naerftigheid! Terwijl ge ons toond fo klaar
In uwe Reeden-twift, des Piinbancks doods-gevaar.
O frykkelike pijn! o plaag die meenigwerven
De Menfien duizental, in plaats van eens, doet fterven!
O reedenlooze vond, van Christ'nen nooit bedagt;
Maar van het Heidendom zo dwaafslijk voort gebracht.
O Winckel vol van bloed, hoe pijnigd gij't gewiffe,
Der Menfien! En hoe dwingt g'haar om bekenteniffe
Van eene zaak, waar aan zij vaak onfchuldig zijn!
Zo-dat de menf' zig zelfv' vermoord door deefe pijn.
Ga voort mijn voetfter Vrijnd zo moedig in het ftrijden
Voor Themis Heiligdom! O wakhre Themis Zoon
Met recht verdind gij, voor uw goeden jever, loon
Met recht behoord ge-een reeks van meer dan Nestors jaaren
Te leeven, tot gij word verfiert met zilvre haaren.
Leef lang! beschermd het recht door uwe zorg en vlijt,
Maak dat ge een Voorspraak van verdrukte Menfien zijt
Verftrek tot hulp aan die benaud zijn, en verlegen,
GOD mak uw tot een doel van al zijn heyl en zegen.

SOMMER.

DO gehe denn voran / mein Freund! ich muß dir weichen!
Und da man deinen Fleiß des Vorzugs würdig acht!
Freiwillig zu gefehn was ich mir zugefacht.
Wer Lorbeer-Kränze trägt / der führt ein Sieges Zeichen!
Und also muß ich wohl hinfort die Siegel ftreichen.

Zwar

Zwar als das Schicksal uns zuerst zusammen brachte
Und unsrer Jugend Lieb die erste Freundschaft macht/
Befiße ich mich schon den Vortritt zu erschleichen :
Und setze solches Ziel auch meinen stärckren Jahren /
So oft wir in der Fremd hernach zusammen warn.
Du weist auch wie ich schon den Gradum zu erreichen
Die Anstalt dort gemacht/ es wir nach Holland zogen.
Allein/ ich sehe jetzt die Rechnung hat getrogen :
So gehe denn voran/ ich muß dir dißmahl weichen.

Also schrieb seinem werthen Freunde zur neu-erlang-
ten Ehre glückwünschend aus Uerecht zurück

S. P. GASSER, J. U. Cand.

SAt præjudiciis certatum : Doctior orbis
Judiciis propriis nunc sua bella gerit.
Quæ præconceptis censuris cuncta notabant
Jam prope cesserunt, tempora dura retro.
Quid dicat quisquis docti plerumque videbunt.
Dogmaque decrepuit quod crepat : *auris tua*
Unde fit ut verum, quod dixerat ille latere
In puteo, sensim tollat abinde caput,
Fallor, an hinc etiam fieri persuadear istud,
Quod mala Torturas hæc pia charta probet ?
Sic est *Bernhardi Doctissime* ! non erat ullum,
Quod mage simplicitas approbet ipsa, malum.
Cur ita ? - - Nam constat Romanis esse probatum
Queis dicunt nunquam complacuisse mala.
Fas erat idcirco depingere clarius istum
Justitiæ fumum, judiciumque tuum.
Gratulor hoc ipso Tibi nomine, quæque labori
Huic conjuncta capis, præmia fausta precor.

JOH. CHRIST. GRUEL,
Gryphsw. Pom.



Halle Diss. 1705
(T-Z)

ULB Halle

3

001 923 900



sb

1078



XL. 28.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIS
DE

TORTURA FORIS CHRISTIANORUM PROSCRIBENDA,

Quam
IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE, AC DOMINO
DOMINO

FRIDERICO WILHELMO

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS BRUNNEN-
SIS ET CETERARUM PROVINCIARUM HEREDITARIARUM
PRAESIDE

DOMINO CHRISTIANO THOMASIO

DOCTORI, SANCTAE REGIAE MAJESTATIS BORUSSICAE CONSILII PROFESSORI
ET FACULTATIS JURIS DECANO,

Pro summis in utroque Jure Honoribus
legiis & Insignibus rite capeffendis,
IN AUDITORIO MAJORI

ad diem XXII. Jun. MDCCCV. Horis ante & post
placidæ eruditorum discussioni submittit

MARTINUS BERNHARDI,

Hala, TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI,

